Havestadt · Chilidúgú · 1898

CHILIDÚĠU.

LACHRYMAE SALUTARES

OPERA

BERNARDI HAVESTADT.

EDITIONEM NOVAM IMMUTATAM

CURAVIT

DR. JULIUS PLATZMANN.

LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI

MDCCCXCVIII.

CHILIDÚĠU.

LACHRYMAE SALUTARES

OPERA

BERNARDI HAVESTADT.

EDITIONEM NOVAM IMMUTATAM

CURAVIT

DR. JULIUS PLATZMANN.

LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI

MDCCCXCVIII.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

LACHRYMÆ SALUTARES,

QUIBUS PER

DEI Omnipotentis miſericordiam, Verbi Incarnati merita, Sanctorúmque & præcipuè B. V. MARIÆ immaculatè conceptæ Interceſſionem impetremus;

ut

Poſt lacrymarum Salutarium nubila in Terris, Phœbus occaſum neſciens nobis feliciter oriatur in Cœlis.

PARS PRIMA.

LACHRYMATUR DAMNATUS,

HUNC AUDI,

Et deſcende in infernum vivens,

nè deſcendas moriens.

CANTICUM. I.

Lamentationes damnati in Inferorum pœnis.

§. 1.

HEu quis locus æternarum
Me accepit tenebrarum,
Et nigrantis inferi?
Non hîc antra ſunt Plutonis:
Muſa finxit hæc Maronis,
Uti fauces Cerberi.
Non hæc ſunt Acherontæa
Vada, nec Phlegetontæa,
Non hiatus Tænari.

Non armatæ ſtant Chimæræ,
Non Harpiæ, non Megeræ,
Non torquentes Furiæ;
Non eſt Dîtis hic infernus
Sedes atra, nec Avernus,
Non paludes ſtygiæ.
Non eſt quod fingunt Poëtæ;
Sed eſt quod dicunt Prophetæ
Divinis ſermonibus.
Illi vana cecinêre;
Iſti vera prædixêre
Formidanda omnibus.
Non hîc regna Radamanthi,
Soli viſa ſomnianti
Loca ficta Tartari.
Domus eſt æternitatis,
Carcer infelicitatis
Præparatus impiis.
Specus alta, latebroſa,
Triſtis, atque tenebroſa,
Cœli clauſa radiis.
En hûc ego ſum detruſus,
Simus atque ſum excluſus
Humano conſortio.
Hac damnatus ago ſorte
Ut æternâ macter morte,
Immani ſupplicio.
Nulla talem mors horrorem
Tulit unquam vel mœrorem
Fœda loci ſpecies;

Qua-

Qualem fert infortunatæ
Hujus nobis deſtinatæ
Tetra domus facies:
Aſtris mille firmamentum
Lucet orbis ornamentum:
Sed hinc nullum cernitur.
Pulchri Solis Lux ſerena
Terris fulgens eſt amœna,
Sed hinc non aſpicitur.
Noctu ſtellæ cœli rident,
Sed hîc clauſi nihil vident:
Nihil illos recreat.
Luna noctis eſt ſolamen,
Sed hîc nullum eſt levamen:
Nihil eſt quod placeat.
Terra blando flore læta.
Atque multo ſatu fœta
Dulces fructus procreat.
His in antris nulli flores
Neque florum ſunt odores,
Nil eſt quod non fœteat.

---

§. 2.

NOn oblectat hîc aſpectus
Neque mollis eſt affectus
Inviſa ſunt omnia.
Triſtis & trux omnis vultus:
Terror, horror adeſt multus,
Ingrata ſunt omnia.

Nullus placet hîc amicus,
Solus adeſt inimicus;
    Nullus amat ſocium.
Nullus amor vivit Patris,
Nullus Matris, nullus Fratris:
    Unum regnat odium.
Nulla mulcent blandimenta,
Sonant tantùm hîc lamenta,
    Mixta mille queſtibus.
Non hîc feſtæ ſunt choreæ:
Omnes plenæ ſunt plateæ
    Importunis planctibus.
Ceſſant omnes cantilenæ,
Quibus lautæ gaudent cœnæ:
    Deſunt iſta gaudia.
Hîc cantores infelices
Plangunt atque cantatrices
    Sola norunt triſtia.
Nullus ludit hîc comœdus,
Nihil fingit hîc tragœdus,
    Vera ſunt hæc omnia.
Non ſunt ſpectra miſerorum,
Non ſunt ludi theatrorum:
    Eſt ipſa miſeria.
Diræ ſemper regnant iræ,
Nec canoræ quiſquam lyræ
    Fila movet pollice.
Sonant ſolùm maledicta,
Læta vox eſt interdicta
    Ab æterno judice.

Nemo

Nemo quicquam meditatur
Dulce, neque modulatur
Mulcente teſtudine.
Nec dolores molliuntur,
Nec mœrores leniuntur
Alternante carmine.
Hîc clamores, ejulatus,
Plangores, & ululatus,
Atque ſtridor dentium.
Cælum, mundum deteſtari,
Deum ipſum execrari
Hic eſt furor omnium.
Non hîc ullus honoratur,
Nec honore Rex lætatur:
Quis memor imperii:
Non ſe jactat glorioſus,
Non oſtentat ſpecioſus:
Quis faſtus ſupplicii?

---

§. 3.

HIc majeſtas imperantûm,
Et poteſtas dominantûm
Æquatur ſervitiis.
Jacet faſtus ſuperborum
Atque mundi beatorum
Permixtus mancipiis.
Illæ quondam ſic formoſæ,
Illæ pulchræ tam jocoſæ,
Illæ mundi Veneres,

Hic informes & horrendæ
Nulli tamen miſerandæ,
    Eſſe monſtra diceres.
Non hîc auro laqueatæ
Domus neque delicatæ,
    Non eſt aula regia.
Nullum ſtratum eſt cubile
Ubi nec cernas ſedile:
    Totum eſt anguſtia.
Lecto nullus latiore
Dormit neque molliore:
    Somnus omnis exulat.
Nulli datur peragrare
Campos, vel prata luſtrare:
    Non unus deambulat.
Ubi dies geniales;
Ubi noctes convivales
    Amantûm deliciæ?
Ubi dulces amatorum
Cætus & fabulatorum
    Jucundæ facetiæ;
Quicquid poteſt oblectare,
Deus juſſit exulare
    Hac è mundi cavea.
Locus totus eſt tormentis
Præparatus, & lamentis
    Hæc impletur fovea.
Hac è ſpecu miſerorum
Et cavernâ damnatorum
    Nulli patet exitus.

Volent

Volent omnes ſemper mori,
Nunquam tamen huic dolori
Erit ullus tranſitus.
Fruſtrà vult quis hinc exire,
Vel conatur interire,
Semper pati cogitur.
Semper erit id quod nolet,
Nunquam erit id quod volet;
Moriendo vivitur.
Heu quis in hunc me dolorum
Locum truſit, & malorum
Iſto merſit gurgite?
O me nimis infelicem:
Nemo meam dolet vicem:
Hîc ſunt preces irritæ.
Ah qualis eſt iſthæc vita!
Mœſta nimis, nec finita
Annorum temporibus.
Vellem nunquam eſſem natus:
Non fuiſſem reſervatus
Tantis cruciatibus.
Sed quid ego perpetravi,
Vel quod ſcelus cogitavi
His dignum ſuppliciis?
Fruſtrà queror: res & acta,
Mea luam prava facta
Æternis incendiis.

CANTICUM II.

Damnatus ob impuros amores fœdásque voluptates lamentatur.

§. 1.

EGo quondam delicatus
Exultabam ùt beatus:
Quando diu concupitis
Per fas nefásque quæſitis
Fruebar amoribus.
Sed cur vocem hos amores?
An non magìs ſunt errores?
Nec hoc ſatìs; quid vocabo;
Vera loquar, ſi æquábo
Inſanis furoribus.
An non eſt inſanientis
Vel furentis ardor mentis,
Velle frui voluptate
Quam ſcias æternitate
Puniri miſeriæ?
Ah momento delectari!
Et æternùm cruciari!
Annon eſt hoc inſanire,
Stillam unam ſic ſitire
Inanis lætitiæ?
Oblivifci caſtitatis,
Guttâ captum ſuavitatis;
Et hanc pœnæ formidandæ
Nullis ſeclis terminandæ
Mercari ſupplicio?

An

An hæc loca tormentorum
Neſciebam æternorum?
Ecquis ergo me ſecarat,
Quis tam craſſo faſcinarat
Illudens mendacio?
Ecce flammæ circum-undant:
Eheu nullum culpis mundant:
Hauſtus igne circundante
Totus uror á vorante,
Nec purgantur ſcelera.
Ardent ignes adurentes,
Venas, artus, cor torrentes:
Hæret intus peccatorum
Vermis ſemel patratorum
Et depaſcit viſcera.
Antra fumant ſulphurata
Ardent quæ ſunt concremata:
Nulla cœlo gutta rorat,
Flamma furit, edit, vorat:
Nec ardens conſumitur.
Intùs urit ignis rapax
Sempiternæ flammæ capax,
Rogo nunquam lenteſcente
Nec ardores remittente
Damnatus hîc coquitur.
O amantûm blandimenta
Sic tranſitis in tormenta?
Quicquid olim dulceſcebat,
Atque ſenſus demulcebat,
Hîc eſt ardor crucians.

Abierunt voluptates
Et mendaces honeſtates
Inſtar umbræ vaneſcentis
Inſtar ſomni mentientis:
Sed punitur ſomnians.
Ubi nunc quo delectabar
Et inſanus amplexabar?
Spectrum fuit: ah ſpectrorum
Tales ſunt ac ſomniorum
Tam triſtes reliquiæ!
Hos merentur cruciatus
Fœdæ carnis titillatûs,
Joci, riſus blandiores,
Et amplexus molliores
Brevésque deliciæ?
Eheu cæca me libido
Luſit, & duxit cupido
Ubi molles amatores
Inter mille ſunt tortores
Inter & ſupplicia.
Nullus ſperat hîc levamen
Ubi nemo fert ſolamen,
Ardent nunquam extinguenda
Neque ſeclis minuenda
Quæ torquent incendia.
Dira ſævit vis ardoris
Nulla pars expers doloris
Nulla caret ſuâ pœnâ
Fibra, nervus, atque vena
Suas flammas ſentiunt.

Ah

Ah leves hilaritates!
Ah breves jucunditates!
Intoleranda tormenta,
Amara cruciamenta
        Unâ horâ pariunt.
Eheu Venus impudica
Caſtæ mentis inimica,
Quàm fallaci decepiſti
Et mendaci deluſiſti
        Amoris imagine.
Nunc agnoſco quod amavi:
Nunc deteſtor quod laudavi
Hoc in antro damnatorum
Atque terra miſerorum
        Demerſus voragine.

---

§. 2.

DUm calentis me petîgo
Carnis ac urens prurîgo
Molli frictu delectabat,
Lentos ignes ſuſcitabat
        Intimis viſceribus.
Non ſperabam has fornaces
Nec has flammas quas veraces
Mille teſtes nunciabant
Et paratas prædicabant
        Meis voluptatibus.
Nocte queror ſempiterna,
Flamma vorans eſt æterna:
Clamo frendens præ dolore
Ringor ardens præ furore
        Dum invitus patior.

Ecquos dicam hos dolores?
Plusquàm mortis sunt angores,
Uror quasi moriturus
Et dolorem finiturus,
Sed æternùm crucior.
Ah nil juvat lamentari
Nihil prodest detestari:
Inter turbas desperatas
Et à Deo condemnatas
Sera pœnitentia.
Manet judex obduratus,
Tortor urget efferatus,
Urit ardor furialis,
Restat mœror immortalis,
Vana querimonia.
O si tandem miseratus,
Longos cernens cruciatus
Iras suas sic leniret
Votum unum ut audiret,
Votum lamentabile.
Ego nollem beatorum
Sedes, nec sortem sanctorum:
Tale nihil mens optaret,
Quicquid mea vox sonaret,
Id est miserabile.
Quicquid restat mihi vitæ
Tollat, dabo non invitè:
Ibo lubens in inane,
Nè æternum & immane
Duret hoc supplicium.
Sed heu nescit miserari,
Vult nos semper cruciari:

Esse nihil ſtat negare
Quando poteſt hoc optare
Miſer beneficium?
Negat omne levamentum,
Vetat omne lenimentum,
Sic damnatus odit mentes
Ut in rogos hos torrentes
Nolit gutta pluere.
Et hoc ipſe juramento
Rato ſanxit, nè momento
His in antris inferorum
Atque locis damnatorum
Liceret quieſcere.
Ah! ſic reos Deus feris,
Atque pœnis tam ſeveris
Riſum noctis vel unius
Juſtè punis, vel ſolius
Culpam deſiderii?
An hoc vocas judicare?
An hoc dicis vindicare
Quum pro fluxa voluptate
Mulctas nos æternitate
Crudelis ſupplicii?
Tantum detur Tormentorum
Quantum datum eſt amorum
Jocis noſtris: non recuſo
Dura pati: non accuſo
Te cæleſtem vindicem.
Ah! amores avolarunt:
Unâ horâ vix durarunt:

Nunc

Nunc in pœnis ſempiternis
Ac tormentis æviternis
Clamo contra Judicem.
Omnes mundi voluptates
Mille durent in ætates,
Hîc momento compenſantur
Nec duarum exequantur
Horarum doloribus.
Quicquid illîc eſt pœnarum
Durum licèt & amarum,
Stilla non eſt cruciatus
Qualem pendo condemnatus
His clauſus carceribus.
Sed heu fruſtrà diſputabo:
Quicquid querar, aut jactabo:
Deus fatum non mutabit,
Nec vis ulla ſuperabit:
Hoc ineluctabile.
Fruſtrà voce lamentantis
Fruſtrà queſtus indignantis,
Væ væ legis contemptori:
Væ væ Dei deſertori:
Væ væ lachrymabile!

---

§. 3.

VEllem ore rabioſo
Vellem morſu furioſo
Carnes meas lacerare,
Si ſic poſſem ſatiare
Inflammatam rabiem.
Sed quid ſic incaſſum certo?
Nam quocunque me converto

Pœnas meas perennare
Deus jubet, nec ſperare
Ullam malis requiem.
Verè fuit hoc perire
Quum me dixi deperire:
Ubi pectus amor cœpit
Imprudentem me decepit,
Ibi totus perii.
Illæ flammæ quas nutrivi
Quum amari concupivi
Nitus edunt ùt ultrices:
Eheu quales amatrices!
Ah! æternum perii.
Quondam blandæ vos Junones
Nunc deteſtor ùt bufones:
O vos eſſem execratus
Quando primùm ſum captatus
Oculis illicibus.
Eheu me ſic dementaſſe,
Atque tantùm deliraſſe
Ut carnis putreſcentis
Poſt tres dies puteſcentis
Tenerer amoribus.
Formæ quondam blandientes,
Modò viſu ſunt horrentes:
Neque poſſum tolerare
Quos ardebam aſpectare
Furens inſaniſſimè.
Jam non molles blandiuntur
Nec blandè circumplectuntur,
Nam quis ferat amplexari

Quas

Quas hîc flammis concremari
Spectat flagrantissimè.
Mecum illæ cruciantur
Eisdem rogis inflammantur:
Vellem quicquid hîc flammarum
Locus habet, id illarum
Torrêret præcordia.
An sic possem recreari
Et dolore relevari
Inter ignes hos urentes
Dum arderent hæ gementes:
Eheu quæ solatia?
Sed hîc nihil nos solatur,
Nulli pœna mitigatur:
Dolor acer intùs sedens,
Odiorum furor edens
Nullum linquit gaudium.
Nec acervus ingementûm
Lene facit hîc lamentum.
Neque multus ululatus
Leves facit cruciatus
Nec pœnas dolentium.
Omnes iris cumulantur
Atque pœnis asperantur
Nemo potest non dolere,
Nullus potest condolere,
Vel solari socium.
Ut dolores sunt immanes,
Furunt omnes utì canes:
Mens oblita pietatis
Inimica charitatis
Versa est in odium.

Vermis

Vermis intùs edit, rodit
Cor mœrore furit, odit:
Ignes hærent pertinaces,
Ardent, urunt, nec edaces
Flammas ullus temperat.
Dolor, luctus, ira furens,
Caro vivens, ignis urens
Ecce ſimul copulantur
Et in pœnas aggerantur:
Sic me Deus oderat?
Ergóne qui me creavit,
Ille pœnis his mactavit?
Meî cur non eſt oblitus?
Sic non eſſem: nec invitus
His teneret vinculis.
Forſan fecit me dignatus:
Vellem eſſet indignatus,
Vel me ſemper neſciviſſet:
Nunquam iſtis incluſiſſet
Damnatum ergaſtulis.
Ah quid queror? cùm amaret
Me creavit ut bearet,
Atque choris Angelorum
Sociaret beatorum
Dignatum conſortio.
Ipſe regna præparavit,
Et promiſſis invitavit:
Hunc amorem aſpernatus
Eheu nimis excæcatus
Hoc damnor ſupplicio.
Væ æterna negligenti,
Væ væ mihi væ dementi:

Cur ſic ergo deliravi
Quando ſtultè permutavi
Terrenis cœleſtia.
Ecquis error huc me duxit?
Heu! phantaſma me ſeduxit.
An hoc ego ſum ſecutus?
Hæret lingua: reſto mutus,
Ipſa ſum triſtitia.
Hîc in pœnis perdurabo,
Me lamentis cruciabo:
Delictorum non oblitus
Hoc fatebor vel invitus,
Miſer eſſe volui.
Ipſa mens me reprehendet,
Mille probra cùm obtendet:
Intùs illâ me damnante
Dicam voce lamentante:
Felix eſſe nolui.

CANTICUM III.

Lamentantis perditam innocentiam.

§. UNICUS.

QUondam pius adoleſcens
Eram primis annis creſcens,
Inter cœtus puriores
Atque choros caſtiores
Vivebam ſanctiſſimè.
Mores erant ùt modeſti
Sic ſermones tunc honeſti:
Quisquis fuit impudicus,
Nunquam fuit is amicus:
Amabam caſtiſſimè.

Sed

Sed ô miſer dum incautus
Vivo liber atque lautus,
Ecce blandè me captare,
Seſe mihi ſociare:
Comes, delicatuli.
Ego paulùm demutari
Atque vanis delectari:
Sic dum placet honeſtare
Atque jocis decertare
Devinxêre blanduli.
Vultus laudant ſpecioſos,
Spectant & monſtrant formoſos;
Pectus non ſatìs firmatum:
Contra tela non armatum
Molliverunt oculi.
Cura ceſſit caſtitatis,
Cepit amor voluptatis:
Illi captum irretire,
Ego ſancta feſtidire
Ut curas pueruli.
Dúmque dulce ſit amari
Atque bellè converſari
Suave fuit & amare
Amantésque delectare
Non ſeveris moribus.
Linquo cœtus ſanctiores
Cùm ſequor licentiores,
Dúmque curo nè ſim durus
Non adverto quòd impurus
In his fio cœtibus.
Si quis pudor retinebat.
Vel ſi timor cohibebat.

Illi metum removere
Comi vultu deridere
Religiosissimum.
Ubi cœpi consentire,
Atque simul lascivire.
Tunc Sodales assentari
Gratulantes amplexari
Velut urbanissimum.
Cùm puderet me pudentem
Nec videri sat audentem,
Amor amens me incessit
Et afflictus pudor cessit:
Vicit impudentia.
Ego cœcus implicari
Vinclis novis alligari:
Eheu miser serviebam
Cùm insanè gestiebam
Lascivâ licentiâ.
Prô dolor! quod non licebat,
Magno Deo displicebat,
Ausus ego cogitare,
Sciens volens perpetrare
Exultans flagitio.
Et felicem me putabam,
Cùm me magìs inquinabam:
Nec voluptas irritata
Fuit unquam satiata
Suo desiderio.
Quæ farrago tunc amorum
Perstrepebat effrænorum?
Velut picis bullientis
Fuit æstus fervescentis
Malesanis ignibus.

Sed ô miſer quos dolores
Ego ſenſi? quos mœrores
Ego tuli, cùm cupido
Inſtigaret, & formido
Obſtaret amoribus.
Læta triſtem me fecerunt,
Feſta mœſtum me liquerunt,
Sæpè finis hic jocorum
Fuit & merces ludorum
Timor & mœſtitia.
Vix guſtatæ ſuavitates
Fuerunt acerbitates:
Iras, lites, atque rixas
Quales ſurgunt inter lixas
Ferebant convivia.
Inter nugas tam fallaces
Inter riſus tam mordaces
Nunquam dulcis & amœna
Vita fuit, ubi pœna
Comes individua.
Modò livor me urebat
Curísque mens ægreſcebat:
Et nunc ardens diligebam
Et immundus diffluebam
Volùptate mutuâ.
O me ſi quis arguiſſet,
Vel errantem monuiſſet:
Forſan greſſus reflexiſſem
Et ad veræ rediiſſem
Pietatis ſemitas.
Vani tamen ſunt hi queſtus
Quos excuſans edo mœſtus:

 Nònne

Nónne bene me monentis
Et honeſta ſuadentis
Riſi preces irritas.
Mente nimis inſolente
Ore ſimul impudente
Sprevi leges honeſtatis,
Et promiſſa caſtitatis
Stultè riſi præmia.
Quùm me turpis volutabam:
Et impurus inquinabam,
Quanta feci murmurante
Et incaſsùm reluctante
Intùs conſcientiâ?
Quid incuſem ſeducentes
Et malignè blandientes?
Culpa námque meæ mortis
Tota non eſt hæc conſortis:
Ego volens perii.
Minas in me quis jactavit?
Aut quis pœnas intentavit?
Ego ſpontè deërravi
Nec invitus declinavi.
Ego ſpontè perii.
Ah! amavi ſic perire
Inque flammas has venire.
Ità corda ſtupefecit,
Atque ſenſum labefecit
Vita voluptaria?
Deo juſtè vindicante
Et ad pœnam me damnante
Vinclis cogor alligatus
Duros pati cruciatus
Sævâque ſupplicia.

CANTICUM IV.

Apoſtrophe ejuſdem damnati ad ſeductorem.

§. UNICUS.

ET tu meus olim comes
Menſâ mihi ſociatus
O infelix mali fomes!
Pares ſubis cruciatus
Hiſdem in incendiis.
Ecquis amor inſpiravit
Ut te mihi ſociares?
Ipſe dæmon inſtigavit,
Ut me tuis fœderares
Voluptatum orgiis.
Caſta ſequens Inſtituta
Viâ lætus ibam tutâ
Vitæ mores purioris
Erant mihi ſuavioris
Nexus amicitiæ.
Erant ludi non nocentes
Quales decent bonas mentes,
Sermo comis & jucundus
Semper tamen verecundus
Tenax pudicitiæ.
Ubi primùm te junxiſti
Bonæ mentis ſimulator,
Innocentem corrupiſti
Impudicus adulator
Impuris conſiliis.
Si amabas, cur fallebas
Blandimentis delinitum?

 Cur

Cur amicus ſeducebas
Et trahebas irretitum
Tuis lenociniis?
Amor tuus an fidelis?
Furor fuit hic crudelis:
Quum ruebas in amplexus,
Velut anguis molles nexus
Tendebas flagitii.
Vellem magìs me odiſſes,
Et amores reſpuentem
Inimicus peremiſſes
Tali morte promerentem
Coronam Martyrii.
Eſſem mòdo coronatus
Conſors regni beatorum:
Nunc ùt torris inflammatus
In his ſævis inferorum
Lamentor incendiis.
Vellem omnes ſcelerate
Iſtas flammas paterêris:
In te eſſent aggregatæ:
Nam quid minus tu mereris
Cunctis his ſuppliciis?
O ſi unus periiſſes
Téque ſolum perdidiſſes!
Nam cur à te faſcinatus,
Et, prô dolor! inquinatus
Unà tecum pereo?
Ah! ſi te nunquam vidiſſem,
Nunquam ego peccaviſſem:
Sed peccavi te ſuadente
Verbo, factis præeunte,
Et nunc tecum ardeo.

O ſi eſſem flamma furens
Ut medullas tuas urens
Te te meum proditorem,
Et impurum corruptorem
        Torquerem crudeliùs!
Oh! ignes ferventiores
Et flammæ torrentiores
Eſſent quibus cruciaris
Et æternùm hîc cremaris,
        Ut ſævirent acriùs.
Ah! non fuit tibi ſatìs
Si te cœno volutares!
Furor fuit voluptatis
Ut puros contaminares
        Immundis amoribus.
Ergo caput execrandum
Pœnæ tuæ duplicentur:
O ſcelus abominandum!
Dolores multiplicentur
        Æternis remporibus.

IHS

Pars Secunda.

HORRENDAM DAMNATORUM

Sortem vitare cupiens, confugit
Sodalis ad Mariam Deiparam.

Hunc imitare
Et ſi ſaluti conſulis Virginis fidei
te committe:

Canticum. I.

Orat Sodalis pro ſuſceptione ſua.

§. 1.

Mater celſæ majeſtatis;
Virgo decus ſanctitatis,
Omnis plena gratiæ.
Tui parens Creatoris
Atque mei Salvatoris,
Fons miſericordiæ.
Ecce gravi peccatorum
Mole preſſum, & malorum
Noli me rejicere.
Vide tibi ſupplicantem
Opem tuam implorantem,
Noli me deſpicere,
Scio quantùm ſum indignus
Sed accedo non malignus
Nec pravo conſilio.
Sed incenſus obſequendi
Atque tibi ſerviendi
Pio deſiderio.

Fretus tuâ pietate,
Invitatus bonitate
Egénsque conſiliis.
Unum corde gero votum
Opto tibi me devotum
Tuiſque obſequiis.
Ecce tibi ſi dignaris
Fio ſervus, nam vocaris
Verè mea Domina
Magna mundi dominatrix
Mei cordis imperatrix
In me verte lumina.
Sis Patrona tutelaris
Advocata ſalvatoris
Servo clemens humili.
Nunc agnoſco me clientem,
Præbe mihi te faventem
Præbe manum fragili.
Hoc eſt corde jam firmatum,
Si vis habes id juratum
A te non deficiam.
Ero tuus, & amori
Tuo fidus, & honori
Caſtâ fide ſerviam.
Quotquot mentes ſunt cœleſtes
Erunt omnes mihi teſtes
Felicis propoſiti.
En me totum tibi credo
Lætâ mente totum dedo
Cuſtos eſto debiti.
Quicquid jubes ſtat præſtare,
Quicquid vetas declinare
Quàm vigilantiſſimè.

Nomen tuum honorabo
Facto, verbis, & amabo
Colens fideliſſimé.
Nihil contra meditabor
Sed nil magìs deteſtabor
Quàm quod tibi diſplicet.
Servo tuo fructuoſum
Erit, atque glorioſum,
Ecquis contrà judicet.
Ergo tibi ſe dedentem
Tuæ curæ confidentem
Servum tuum ſuſcipe.
Vides quot & quàm moleſti
Permant hoſtes, & Infeſti
His, ùt potes, eripe.

---

§. 2.

SIve blanda ſit fortuna
Sive premat importuna,
Firma me præſidiis.
Sive vexet violentus
Hoſtis, ſeu ſit fraudulentus.
Juvabis auxiliis.
Ne me fucus vanitatis,
Vel dulcedo voluptatis
Incautum decipiat.
Stella velut matutina
Te lucente lux divina
Nunquam me deficiat.
Quamvis via ſit obſcura
Erit tamen mens ſecura
Si mihi præluxeris.

Iter licèt impeditum,
Erit, ſi vis, expeditum
Si mihi præluxeris.
Quis hac viâ tenebroſâ
Stabit, atque ſalebroſâ
Sat firmo veſtigio?
Niſi firmes ambulantem
Atque greſſu vacillantem
Materno auxilio.
Nulli tutum eſt viventi
Nec eſt bonum morienti
Si tu Mater deſeras.
Nam quis arcet ſævientem
Hoſtem, ſemper imminentem
Si non ipſa conteras.
Ope tuâ non munitus
Et favore deſtitutus
Vivit infeliciter.
Quamvis potens ſit & dives
Inter omnes regni cives,
Vivit infeliciter.
Degat licèt delicatus
Clament omnes, eſt beatus,
Vivit infeliciter.
Nemo nocet, omnes favent,
Omnes ejus vitæ cavent,
Vivit infeliciter.
Nullus metus illum premit,
Nullum cura diem demit,
Vivit infeliciter.
Nulla vexat ægritudo
Nec triſtis ſollicitudo,
Vivit infeliciter.

Longè, latè dominatur,
Et à cunctis honoratur,
Vivit infeliciter.
Omnis à te derelictus,
Citò cadet, & afflictus
Peribit miserimè.
Non est à quo sublevetur
Nònne tandem morietur
Hic infelicissimè?
Ergo precor per cruorem
Tuæ prolis, & amorem,
Noli me relinquere.
Et per dulce nomen Matris,
Et per dulce nomen Patris,
Noli me deserere.
Unum fac me de tuorum
Quos tu regis electorum
Felici familiâ.
Tui quos fovent amores
Qui sequuntur tuos mores
Tuáque vestigia.

---

§. 3.

Virgo meum scis amorem,
Tuum cur quæram favorem;
Esse tuus ambiam.
Vides quid mens mea spectet,
Quid sit illud quod affectet,
Ecquid grande cupiam.
Non me boni pereuntis
Et post diem vanescentis
Tenet desiderium.

Quicquid

Quicquid aulæ ſervientes
Conſectantur blandientes
Non eſt meum præmium.
Sperent illi magiſtratus
Et ſi placet principatus,
Illis non invideo.
Aurum illis cumuletur,
Et theſaurus acervetur,
Non eſt id quod aveo.
Non me blandæ voluptates
Ducunt, nec ſuavitates,
Neque vita mollior.
Errat ille quisquis credit
Quod qui ſe his totum dedit
Vivat hic felicior.
Verè non es his patrona,
Neque nôrunt tua bona,
Quotquot vanis inhiant.
Non eſt tale quod promittis
Quod è Cœlo ſervis mittis
Si fideles ſerviant,
Nec id opto quod mortale
Fluit, quamvis ſit regale,
Non eſt quod deſidero.
Tu ſcis quæ me ſpes ſuccendit,
Et quò curſus meus tendit
Quò te amans propero.
Ut eſt tuæ poteſtatis,
Ità ſit & pietatis
Amantem perducere.
Potes boni fontem vivum
Atque puram lucem divûm
Si voles oſtendere.

Nè quis amor me deflectat
Vel ad prava timor flectat
Tu me clemens dirige.
Nè quis flexus ſemitarum,
Fallat vel error viarum
Ipſa lumen porrige.
Dum hîc mala me circumdant
Sciens unde ſe affundant
Sis mihi ſolatio.
Vires præbe laboranti
Succurre periclitanti
Dum ſum in exilio.
Ceu ſit vita perducenda
Ceu ſit morte finienda
Promptum fer auxilium.
JESUM qui de tribunali
Judicabit immortali
Fac mihi propitium.
Mortis cùm prement dolores
Mihi leves fac terrores
Tremendi judicii.
Manus tua me ſuſtentet
Si me hoſtis forſan tentet
Timore ſupplicii.
Fac ut vultu non irato
JESUS tuus, ſed placato
Migrantem ſuſcipiat.
Et in regno beatorum
Inrer choros electorum
Clementer accipiat.

CAN-

CANTICUM II.

Gratiarum actio pro ſuſceptione ſua.

§. I.

MATER Dei ter beata,
Virgo nunquam temerata,
Flos honoris & candoris,
Non oblita tui moris
Amando me prævenis.
Ecquid ego hoc amore
Dignum geſſi vel favore?
En felicem mihi ſortem
Vis tuorum me conſortem,
In me quidnam invenis?
Omnes cœli regiones,
Angelorum legiones,
Dei Matrem te teſtantur,
Nomen tuum venerantur,
Et curas pauperrimum.
Arce cœli ſummâ degens,
Et ſubjecta cuncta regens,
Verè probas te Parentem
Ejus qui terrens potentem
Non ſpernit miſerrimum.
Mundo viles & abjecti,
Te favente ſunt electi:
Hoc exemplis eſt firmatum,
Ut in templis decantatum,
Et experti vidimus.
Quàm potenter nos tutaris,
Quàm clementer conſolaris,

Patres noſtri docuerunt,
Omnes gentes cognoverunt,
Et nos ipſi cernimus.
Emergentes ex immundo
Vitiorum imo fundo,
Ope tuæ pietatis
Inter choros caſtitatis
Vivunt nunc ſanctiſſimè.
Multi propè deſperati
Et peccatis illigati,
Te ſenſerunt miſerantem,
Et nunc manum liberantem
Laudant feliciſſimè.
Quotquot blandæ voluptatis
Blandimentis ſuperatis
Ad vexillum Jeſu volant,
Ut hi Deum caſtè colant,
Mater eos allicis.
O quàm multos vacillantes,
Atque metu fluctuantes
Tuus firmat & inflammat
Clemens Jeſus qui hos amat
Quos tu pia reſpicis.
Sed quàm multi cecidiſſent,
Et æternùm periiſſent,
Niſi manum porrexiſſes,
Et labentes erexiſſes
Maternâ clementiâ.
Curis inops duris preſſus,
Et labore longo feſſus
Memor tuî reſpiravit,
Laſſam mentem recreavit
Felici memoria.

Quos

Quos Jeſus intaminatos
Sibi ſervat & probatos:
Hunc amorem permanentem
Et favorem tam conſtantem
Tuæ debent gratiæ.
Et qui victâ voluptate,
Conſervatâ caſtitate,
Cœlo gaudent candidati,
Tibi debent conſervati
Hunc fructum lætitiæ.
Jesus purâ fulgens luce
Quo cœleſtes gaudent duce,
Cùm elegit te nutricem,
Eſſe juſſit & altricem
Sancti deſiderii.
Hoc mirandum quamvis verum
Non negabit cor ſyncerum,
Amor tuî ſedens mente,
Semen eſt in diligente
Cœleſtis conſilii.
Deo ſole coronata,
Dei luce candidata,
Cùm oſtendis hunc candorem,
Tunc accendis & amorem,
Qui te novit, diligit.
Amat ſolem quo ſplendeſcis,
Puram lucem quâ candeſcis,
Et amando ſerenatur,
Et ut amet contemplatur,
In te mentem dirigit.
Ille decor virginalis
Quo tu places, non eſt talis

Qualis nitor compti vultûs
Vel mortalis oris cultus
Iſtis viſus oculis.
Charitatis ſanctitudo
Caſtitatis pulchritudo
Hæ ſunt mentis ornamentum
Deo placens indumentum
Aſpectandum Angelis.
Spernit mundi ſimulacra
Is cui placet forma ſacra,
Forma tuæ ſanctitatis
Quódque decus honeſtatis
Vultu tuo candicat.
Non te novit, non aſpexit,
Decor tuus non allexit,
Cujus nondum cor purgatum
Verâ luce colluſtratum
Amor Dei vendicat.

---

§. 2.

NEſcit ille te amare
Qui ſe poteſt oblectare
Terrenis amoribus.
Nec ab illo vis amari
Qui ſe ſinit inquinari
Inhoneſtis moribus.
Non eſt tibi cœlo datus
Vitâ mollis, delicatus
Et jacens in vitiis.
Non hic habet te nutricem
Quisquis putat ſe felicem
Mundanis deliciis.

Qui-

Quibus blandæ voluptates
Rident, atque vanitates
Mella tua non guſtarunt
Nec lac tuum hi libarunt,
        Mater ſuaviſſima.
Quamvis Virgo ſis modeſta
Nec ulli regnes moleſta
Non es dulcis arroganti
Nec es grata vanæ genti,
        Virgo clementiſtma.
Te ſuperbus non amabit
Qui ſe amat non laudabit,
Nec qui magnum ſeſe jactat,
Solus parvus tecum tractat
        Dulci cum fiducia.
Neque tibi fervit ille
Quisquis ardens curis mille
Quærit aurum vel argentum
Fallax vitæ blandimentum,
        Cœcus avaritiâ.
Tui non ſunt contemptores
Pietatis illuſores
Neque mentes ſimulatas
Tueris, nec ſceleratas
        Dignaris cuſtodiâ.
Ubi caſto corde cuncti
Simul vivunt Deo juncti
Meus, dices, hic eſt fœtus,
Meus erit iſte cœtus,
        Hæc mea familia.
Illos amas, illis faves,
Et, ùt Mater pia, caves,

Quibus quicquid eſt carnale
Sordet, & quod eſt mortale
Viles ſunt quiſquiliæ.
Quotquot cœlis ſunt intenti
Neque terrâ ſunt contenti,
Sed hîc JESUM ſuſpirantes
Hinc ad Deum feſtinantes.
Tuæ ſunt deliciæ.
Inter nugas curiales
Quibus gaudent hîc mortales
Non ſentitur ſuavitudo
Tua, neque dulcitudo
Virginalis gaudii.
Ubi ſilet fori rumor
Ubi nullus mundi tumor
Nec tumultûs fragor tonat,
Hîc tua vox dulcis ſonat
Vox veri ſolatii.
Felix ille quisquis erit
De quo dices meus erit,
Magnis Deus hunc ditabit
Cœli donis, & vallabit
Dulci providentiâ.
JESUS tuus illum ducet
Qui de cœlo juſtis lucet,
Bonis ſuis illum beans
Mundum cor in ipſo creans
Superfusâ gratiâ.
Quid non poteſt hîc ſperare
Et à Deo impetrare
Cui patrona potens aſtas
Mentes omnes juvans caſtas
Favénsque præſentiâ.

Quamvis ille ſit mendicus
Atque mundo non amicus
Ipſe tamen abundabit,
Deus illum cumulabit,
        Omni cœli gratiâ.
Fremat hoſtis & minetur
Mortem diram machinetur
Ille vivet inoffenſus
Quem tu ſervas, & defenſus
        Tuo ſtans præſidio.
Quamvis dura ſint ferenda
Et acerba ſuſtinenda.
Feret ille quem firmabis
Vincet ille quem juvabis
        Cœleſti ſubſidio.
Inimiei latè tendant
Caſſes ſuos, & extendant.
Laqueorum funes inter
Explicatum erit iter
        Si tu Princeps duxeris.
Gradu nunquam titubante
Pede nuſquam vacillante
Montes licèt per ſaxoſos
Sequemur, & confragoſos,
        Si dextram porrexeris.

---

§. 3.

LOca licèt ſint infenſa,
Sicut nocte ſolent densâ,
Ut ſol clarus præfulgebis,
Vel ùt ſtella prælucebis,
        Benigna clientibus.

Et labore fatigatos,
Atque malis oneratos,
Dulcis Mater recreabis,
Vino, lacte, focillabis,
        Undísque cœleſtibus.
Nos felices & beatos,
Bonâ ſorte fortunatos,
Qui latemus in tutela,
Et meremur in ſequela,
        Matris fideliſſimæ.
Quod nos amas ſicut natos,
Atque tibi commendatos,
Probant dona pietatis,
Atque pignus charitatis,
        In nos propenſiſſimæ.
Nos dignata hoc favore,
Mentis orna nos candore,
Fac ſint mores innocentes,
Sanctitate prænitentes,
        Et caſtâ modeſtiâ.
Jesu nos gubernet amor,
Tuî ſimul regnet amor,
Nè qua labes adhæreſcat,
Sed in dies effloreſcat
        Vitæ ſanctimonia.
Ecce Virgo quem vocâſti
Atque tuis ſociâſti
Dextram mihi tuam tende
Servatricem te oſtende
        Migrantis in exitu.
Et orbis imperatricem
Mihi ſciant adjutricem,

Quotquot

Quotquot mala machinari
Volent & inſidiari
In anguſto tranſitu.
Omnes turbas furiales
Diſſipare ſola vales,
Te præſente contremiſcent,
Utì fumus evaneſcent,
Si tantùm reſpexeris.
Ille judex orbi datus,
Nobis ex te Matre natus,
Noxas omnes relaxabit
Atque tibi me donabit,
Si me tuum dixeris.
Ergo Mater Salvatoris,
Lux atque ſpes viatoris,
Noli tuum me negare
Sed clientis me dignare
Ter beato nomine,
Coram magno tribunali,
Ubi cadent omnes mali,
Te favente ſtem ſecurus,
Labis atque noxæ purus
Tuo ſub tutamine.
Cui te monſtras eſſe Matrem,
Se præbebit Deus Patrem,
Et hunc ſorte filiorum
Munerabit beatorum,
Cœlíque divitiis.
Cum dilecta vivens Matre,
Vivet hîc cum Deo Patre,
Tuo nato ſociatus,
Et æterni ſatiatus
Amoris deliciis.

Hinc ad metam properantes,
Ad æterna demigrantes,
Te cognoſcant adjutricem
Unam eſſe, quæ felicem,
Tuis paras exitum.
Hoſtem in nos involantem,
Mille cauſas objectantem
Advocata refutabis,
Et potenter vendicabis
Omnem tibi deditum.
Hoſtis inſtet importunus
Nec de multis cadet unus,
Quos tu Mater pia regis,
Et ſub umbra manûs tegis,
Manûs potentiſſimæ.
Inter tuos numerati,
Sunt à Deo tibi dati,
JESUS illos conſervabit,
Sibi junget & beabit,
Vitâ beatiſſimâ.

CANTICUM
DE
PROTECTIONE B. VIRGINIS.

§. UNICUS.

O Qui Virgineo tectus præſidio,
Securus habitas alto refugio,
Quàm felix latitas procul periculis
Matris ſub umbraculis.
Tu dices dominæ cœleſtis imperî,
In te perfugium ſalutis reperi,
Fiden-

Fidentémque tibi ſervum ſuſcipies,
Et malis eripies.
Hæc ſpes fida pio clienti dicitur,
Hac deſerta navis profundo mergitur,
Hac luce navigans dum ſpecto radium,
Ridebo naufragium.
Nec probra metuam nec linguas invidi,
Non minax odium trucis & avidi:
Caſſes effugiam inſidiantium,
Retéque venantium.
Ut gallina parens dum pullos colligit,
Maternas tremulis alas exporrigit,
Sic tu diva potens dum regis clypeo,
Nullum hoſtem timeo.
Inter horrificæ noctis ſilentia
Atríſque tenebris ſpectra minantia,
Pergam intrepidus unâ te comite,
Nullo fretus milite.
Quamvis mille volent contorta jacula,
Infeſtíque vibrent hoſtes tot ſpicula.
Ut me reſpicient piè ſollicitum,
Sic & imperterritum.
Nec ſi terrificâ dœmon imagine,
Egreſſus inferûm tetrâ voragine
Minetur ſubitò cunctis exitium,
Me videbit anxium.
Inter contagia peſtis indomitæ,
Inter pericula cladis inſolitæ,
Illæſum proteges cinctum horrentibus
Hinc & illinc mortibus.
Mille lævâ cadent & dextrâ millia
Simul dena ruent: inter hæc prælia
Duces

Duces innoxium ô princeps cœlitum,
Virgo tibi deditum.
Lætus effugiam inter tot funera:
Cùm luent impii patrata ſcelera,
Videbo miſeros ſtratos hoſtilibus
Hinc & indè cladibus.
Hæc eſt pœna, dicam, impiis debita,
Sic caterva luet Deo non ſubdita,
Hic quem diva parens clientem liberat,
Qui lubens obtemperat.
Ergo mea ſalus meum præſidium,
Tu me ſuſcipiens eſto perfugium,
Nam tecum habitans arce celſiſſimâ,
Sperno tutus infima.
Licèt deſæviat hoſtilis rabies,
Invadat populos ſæva pernicies,
Tuo me proteges in habitaculo,
Velut propugnaculo.
Monſtra mille licèt ſe ferant obvia,
E caſtris irruant denſata millia,
Vincet hos impetus, vincet exercitus,
Omnis tibi ſubditus.
Nempè tu dominans choris angelicis,
Fræenos injicias turmis maleficis:
Erunt, ſi juſſeris, tuæ familiæ,
Cœleſtes vigiliæ.
Per denſas latebras & ſaltus invios,
Intérque tenebras, omnes innoxios
Ducent aligeri, quos tuos dixeris,
Et Mater amaveris.
Te tutante, caput calcabunt aſpidis,
Crudeléſque feras pignora tigridis,
Spiran-

Spirantémque minas draconem conterent,
Et leones atterent.
Nam tu magna Mater devotos famulos,
Servas nocte, die, tuos ùt oculos,
Promissis animans, & dulcioribus
His firmans sermonibus.
Vos qui me colitis parentem filii,
Conjunctis animis fideles socii,
Quæ vos certa manet merces accipite,
Et securi vivite.
Quisquis crediderit meis præsidiis,
Et me coluerit piis obsequiis,
Hic numen sentiet sibi propitium.
Et ferens auxilium.
Cùm in vota meum nomen vocaverit,
Rebus in asperis opem petierit,
Benignis oculis clemens aspiciam,
Et preces exaudiam.
Illum periculis potenter eximens,
Pressúmque dubiis in bellis redimens,
Sublimem faciam cœli muneribus,
Et justis honoribus.
Me monstrante viam ad cœli gaudia,
Scandet ad gloriæ celsa palatia,
Vivet in regiis divorum sedibus,
Annis non mortalibus.
Spectabit superûm choros mirabiles,
Æternísque regis vultus amabiles,
Me favente suis videbit oculis,
Sempiternis seculis.

PARS TERTIA.

MUNDUS DEPINGITUR

AGNOSCE, ET FUGE.

Et ad bivium æternitatis cùm veneris, nè temerè propera: ſed ſiſte; quò te conferas, ſapienter delibera.

Conſiderato demum inæquali morientium exitu: eum te vivere nè pigeat, quem velles te mori.

CANTICUM I.

De deſideriis & voluptatibus mundanis.

§. I.

O Qui vota mille foves,
Fruſtrà vanis tu te moves
Ictus deſideriis.
Ardor urens non ſedatur,
Sitis ardens non levatur
Traſituris gaudiis.
Aquas hauris, cùm nivales,
Vel ſi bibis pluviales,
Sitis non extinguitur.
Nec de fonte bibens puras
Triſtes corde pellis curas,
Mens his nunquam paſcitur.
Mero ſi vis implearis,
Fluit hoc quo recrearis,
Et cras rurſum ſities.

Dies

Dies adeſt epularis,
Lauto cibo ſatiaris,
Mox redit eſuries.
Quicquid carnis ſenſus capit,
Brevis hora totum rapit:
Tale nihil ſufficit.
Senſus tuos, ùt vis, mulce,
Quicquid terra præbet dulce,
Mentem nunquam reficit.
Qui putatur melitîtes,
Sæpè velut abſynthîtes
Mordet quando bibitur.
Aſpectanda pulchritudo,
Vilis carnis mollitudo,
Cùm amatur, moritur.
Quæque placet hîc dulcedo,
Verte manum, fit putredo,
Vides quid amaveris.
Hac conſumptâ voluplate,
Illâ feſſus ſatiâte,
Cernis quid optaveris.
Vultus decor renidentis
Inſtar ignis it urentis
Imo ſerpens pectore.
Vides ſemel, amor cepit:
Nî ſopitur, edens repit
Toto gliſcens corpore.
Hæret cordi lenis ictus
Oculorum, & tu victus
Ardeſcis cupidine.
Ignis viſu non ſopitur,
Magìs fervet & nutritur
Videndi libidine.

Blan-

Blandientis voces molles
Quid ſunt tibi niſi folles
Spirantes incendium?
Leves geſtus, blandi riſus,
Prælibatus formæ viſus,
Scintillæ ſunt ignium.
Jocus mendax adulantûm
Perdit, & urit amantùm
Fallax obſequentia.
Curiales luſus age,
Quid ſunt, niſi ſigna, vagæ
Mentis, & inſomnia?
Hic amoris quis eſt comes,
Ubi talis adeſt fomes,
Et cupido pruriens.
Non eſt amor hic ſyncerus.
Utì non eſt pudor verus:
Sed libido blandiens.

---

§. 2.

MILLE modis, mille ſignis
Sed, heu! ſæpè quàm indignis
Amores conglutinant.
Blandæ forma comitatis,
Et mendacis voluptatis,
Illigatos faſcinant.
Quæ virtutis hîc origo,
Ubi prima ſcaturigo
Lutulenta profluit?
En qui calet amor primus,
Quaſi corde manans limus
Quàm immundus defluit?

Paret

Paret amor curialis
Sed pruritus eſt carnalis
Impudici corporis.
Nil eſt nî calens libido,
Et inflammata cupido
Alieni decoris.
Nam quid amant, quid ſequuntur,
Qui ſic amant, obſequuntur,
Jucundè conſentiunt.
Nónne totum eſt pudendum,
Nónne totum eſt ſilendum,
Quicquid illi cupiunt.
Simul agunt, ſeſe vident,
Jocos miſcent, ſimul rident,
Et honeſtant invicem.
Ut amantes ſe refellunt,
Non advertit, quem impellunt,
In profundum vorticem.
Unus uni cùm blanditur,
Ah! non amat, ſed mentitur,
Blandimentis noxiis.
Mentes caſtas & intactas
Sæpè vidi labefactas
His jocorum ſociis.
Sapientes ſæpe vertit
Imò totos hos evertit
Unus ictus oculi.
Bonæ mentis fortitudo
Nutat atque firmitudo
Verbi flatu blanduli.
Medicati ros odoris
Suave fragrans, color oris
Puros ſenſus vitiat. D

Dulce vinum delibatum
Dein largè perpotatum
Senſum cordis variat.
Sæpè vocis mollitudo,
Atque vultûs ſuavitudo
Fuit fax libidinis.
Molli manu tetigiſti,
Ignes an adoleviſti
Flammáſque cupidinis.
Vultus nitor & aſpectus:
Crinis licèt ſit neglectus
Quæ non figunt jacula;
Et pudor intemeratus
Erit & intaminatus
Inter tot pericula;

---

§. 2.

NOn eſt iter hoc ſanctorum,
Ubi ſylva peccatorum
Nova ſemper pullulat,
Unde ſplendor caſtitatis,
Unde nitor veritatis
Atque virtus exulat.
Hîc Joannes an manebis?
Manens forſan & hærebis
Inter tot illecebras.
Iter ſemper impeditum,
Nulli fuit expeditum,
Inter tantas ſalebras.
Longè fuge, mundus ardet,
Quotquot amant, ipſos perdet,
His te flammis eripe.

Si

Si moraris, tutus eris?
Inter flammas non urêris,
Citò fugam arripe.
Non eſt ſalus ſatìs certa,
Ubi ſtrages non incerta,
Ubi plures pereunt.
Cur ſectaris morientes,
Et ad ima corruentes
Unde nunquam redeunt?
Cur te lactant ſociorum
Dulces cœtus, & amorum
Grata nugæ pabula?
Eheu, miſer an ignoras,
Quò poſt brevis vitæ moras
Hæc te trahant vincula?
En qui quondam colluſerunt,
Flammis quas non timuerunt
Uruntur torrentibus.
Et cubilis ſociales,
Dulcis menſæ convivales
Hiſdem ardent ignibus.
Ille cœlo nunc gauderet,
Nec infernus hunc torreret
Nî vidiſſet ſocium.
Blandi vultus amatorum
Excitarunt inferorum
Quàm durans incendium?
Nunc ſe vident, ſed oderunt,
Nunquam ſe ſic amaverunt
Ut nunc ardent odiis.

Nunc uterque deteſtari,
Sicut olim ſuaviari
Suis in deliciis.
Heu in cælis exultarem
Dicit unus, & cantarem,
Nî fuiſſes ſocius.
Deteſtandæ ſuavitates,
Execrandæ voluptates,
Ah! quid his fallacius?
Fruſtrà triſtis hæc loquela,
Nulla juvat hìc querela,
Manebit æternitas.
Spes beatæ non eſt vitæ
Stabit pœnæ definitæ
infelix æternitas.

CANTICUM II.
De mundi miſeriis malisque innumeris.

§. 1.

MUndus longè, latè patet,
Sed heu quantis malis ſcatet
Locus eſt miſeriæ.
Fervent bella, fervent lites,
Juſtos premunt atque mites
Inſanæ diſcordiæ.
Sed præ cunctis eſt infeſtum
Malum vigens & funeſtum
Quod peccando luditur.
Nocte, diéque peccamus,
Sine noxa vix ſpiramus,
Vix vel horâ vivitur.

Tot

Tot delicta perpetrantur,
Quot momenta numerantur:
O ſortem miſerrimam!
Qui ſic vivunt, ſimul gaudent,
Simul rident, nil non audent,
O mentem ſtultiſſimam!
Si quis Deo caſtus placet,
Vel quis inſons culpâ vacet,
Riſus eſt & fabula.
Sannæ, probra contorquentur,
In hunc linguæ dirigentur
Venenatæ ſpicula.
Sanctæ leges cælo datæ
Spretæ jacent & calcatæ
Dominante vitio.
Umbra fallax honeſtatis
Nomen gerit æquitatis
Regnante mendacio.
Laus virtutis eſt in ore,
Sed hæc caret laus amore,
Cùm poſt nummos quæritur.
Juſtum multi quum prætentant,
Nomen ſolum hoc oſtentant,
Lucrum plus diligitur.
Fides lucet, aurum lucet,
Sed hoc longè plures ducet
Quod pallore faſcinat.
Id quo ſplendor opum creſcit,
Quo poteſtas invaleſcit,
Bonum mundus nominat.

Aſtus, doli, fraudes tectæ
Hæ ſunt artes mundo rectæ.
Iſthæc ſapientia.
Bonam mentem ſimulare,
Intùs iras occultare,
Laudatur prudentia.
Ut amicum mentiaris
Mala corde moliaris,
Domi, foris diſcitur.
Malum bono compenſare,
Hoc eſt ajunt delirare:
Qui ſic vivit, ſpernitur.
Ecquid boni poteſt eſſe
Ubi bonos decepiſſe,
Hoc putatur gloria.
Ubi læſum peperciſſe,
Inimicum dilexiſſe,
Hoc eſt ignominia.
Ecquis modus eſt malorum
Vel quæ reſtat ſpes bonorum,
Ubi ſcelus colitur?
Honos, eheu! quàm indignis
Hîc habetur, & malignis
Quàm injuſtè redditur?
Ah! non orbis ſunt magnates
Ut nec urbis ſunt primates
Quicunque juſtiſſimi.
Primas ſæpè dignitates,
Atque ſummas poteſtates
Tenent iniquiſſimi.

Hic

Hic qui vivit opulentus,
Nónne fuit fraudulentus,
Fideſque perditor?
Hoc fatentur boni Cives,
Fuit nocens factus dives,
Atque juſti proditor.
Quicquid agit, id colorat
Hic doloſus & decorat
Prætextu juſtitiæ.
Licèt grande ſit delictum
Hoc defendet nomen fictum
Virtutis & gloriæ.

---

§. 2.

HEu quàm turpes voluntates
Mundi tegunt honeſtates
Atque ſimulatio?
Si cor edit virus latens
Ecquid juvat forìs patens
Fallax oſtentatio?
Stulte; credis, es beatus
Qui quum vivis honoratus,
Turgeſcis honoribus?
An non magìs es inſanus,
Cùm videris tibi ſanus,
Intùs ardens febribus?
Glorieris honoratus,
Si tu manes inquinatus,
Degis infelicior.
Quando potes quod vis malè:
Vulnus non ſentis lethale,
Sic vivis miſerior.

Eheu! mentem quæ libido
Dira vexat, & cupido,
        Amare quod inquinat?
An meret felicitatem
Qui nil niſi vanitatem
        Atque ſcelus ſeminat?
Quisquis amas hoſce mores,
Quamvis non ſentis dolores
        Laboras inſaniâ.
Nullas Dei timens iras
Quando peccas, tunc deliras
        Iſta putans gaudia.
Quæ caligo te cæcavit
Ecquis error ſic turbavit,
        Ut hæc bona duceres?
Et quò plures properare,
Per fas, nefas, aſpirare
        Vides, eò tenderes?
Semper fuit numeroſa,
Utì nunc eſt copioſa
        Turba pereuntium.
Ah! tam multos ſcis perire,
Neque tamen vis exire
        Viâ morientium.
Quicquid ſpectant eſt mortale
Et hoc illis eſt lethale,
        Quando magni penditur.
Hoc in malis deplorandum,
Grande nimis & nefandum
        Quod Deus contemnitur.

Inter

Inter mundi tot errores,
Et confuſos hîc rumores,
Deum ecquis audiat?
Ubi tenſi fremunt fluctus,
Nocte die turbant luctus,
Ecquis Deum ſentiat?
Aulæ quid ſpirant regales?
Cur inſomnes curiales
Tantis fervent æſtibus?
Ecquid, putas, civitatis
Magnæ cives factitatis
Mille petunt artibus?
Aurum forſan & argentum
Quærit ille nutrimentum
Diræ ſitis ignibus.
Voluptatum ſunt fomenta,
Quæ miniſtrant alimenta
Inſanis ardoribus.
Ille locum dignitatis
Ambit atque poteſtatis
Jam inviſus æmulis.
Amat iſte gloriari,
Inter magnos nominari
Multis cinctus famulis.
Laudes captat & honores,
Ut venatur hic amores,
Omnésque delicias.
Summa multis eſt votorum
Atque finis eſt laborum
Ditare familias.

Non ſectantur firmæ pacis
Vera bona, ſed fugacis
Fortunæ ludibria.
Cuncta fluunt, elabuntur,
Ubi primùm oriuntur,
Solvuntur ùt ſomnia.

---

§. 3.

MOdò rident & lætantur,
Modò gemunt & turbantur
Dies omnis inquies.
O quàm duris curis fervent?
Ut acquirant, vel ut ſervent?
Quid non verſant millies.
Nova ſemper cupientes,
Laſſantur ùt febrientes:
Non quieſcunt noctibus.
Velint, nolint, verberantur,
Quicquid agant, flagellantur
Suſpenſis timoribus.
Quantæ curæ, quàm mordaces
Corde gerunt, & tenaces,
Nè quod habent pereat.
Sed incaſſum fatigantur,
Atque triſtes macerantur:
Oportet ut pereat.
Quod in terris homo quæris,
Perit illud, aut tu peris:
Quis homo non moritur?

Et

Et priuſquam moriâris,
Votis tuis perfruâris,
        Totum tibi tollitur.
Modò pauper, modò dives,
Forſan inter tuos vives;
        Sed ſemper ſollicitus.
Sæpè vidi ditiores
Quum vix eſſent ſeniores,
        Periiſſe funditùs.
Magna cernis hunc ſperantem,
Mox advertis deſperantem
        Minante naufragio.
Qui florebat opulentus
Jacet modò lutulentus
        Non procul ſervitio.
Qui ſublimis conſidebat,
Ruit quando nil timebat
        Caſu miſerabili.
Sæpè dies triumphales
Finiuntur ùt ferales
        Queſtu lamentabili.
En huic ſortem gratulatur
Plebs ignara, mox miratur
        Et ridet depoſitum.
Spectat vilem & jacentem
Armis olim præpotentem
        Atque bellis inclytum.
Sic humana variatur
Sors in dies: his mutatur
        Viciſſitudinibus.

Admo-

Admonentur his mortales,
Nè ſe putent immortales
Deluſi præſentibus.
O ſi tantùm hæc jactura
Eſſet, quòd non duratura
Conſectantur præmia:
Sic ceſſarent omnes pœnæ.
Ut peracto ludo cœnæ
Finiuntur gaudia.
Sed poſt ludos voluptatis,
Et poſt fumos vanitatis
Vera ſunt incendia.
Nulli dein ſunt honores,
Nulli poſt hæc ſunt amores:
Remanent ſupplicia.
Uno felix hîc momento
Sempiterno poſt tormento
Eheu! miſer plectitur.
Quod non longâ durat morà
Vel nec unâ manet horâ
Sine fine luitur.

Canticum III.

Bivium æternitatis, lata & arcta via.

§. I.

AH quouſque mens vagaris,
Atque leves conſectaris
Mea nugas anima:
Dum amores occupatam
Vani tentent, & curvatam
Inclinant ad infima?

Eheu

Eheu! neſcis ô miſella,
Quod hæc vita ſit fabella
Dum his nugis teritur:
Imò magìs ſit malorum
Verè parens æternorum
Quum ſic ſtultè ducitur.
Fors de putas fortunatam
Viam tenens celebratam
Nobili frequentiâ?
Quid te juvant præeuntes
Mille, quando pereuntes
Ducunt ad ſupplicia?
Ecquid prodeſt comitatus
Si trahit ad cruciatus
Per vias nequitiæ.
Eccur amas ſic errare
Non te vides properâre
Ad locum miſeriæ?
Ignoras quod via lata
Et à multis freqentata
Via ſit interitûs.
Non te fallant hæc amœna:
Vide quæ ſit tandem pœna,
Quis ſequatur exitus.
Sæpe viæ laxioris,
Ut luxus licentioris,
Finis eſt exitium.
Mundi viâ gradientes,
Ad immane neſcientes,
Eunt præcipitium.
Specta mihi tot beatos,
Quod audiſti nominatos,
Mille virûm literis.

Ecce turba numeroſa,
Viâ currens ſpaciosâ,
arctatur in inferis.
Ibi diſcunt ingementes,
Quonam ducat hîc ridentes,
Effuſa licentia.
Inquieti conqueruntur,
Quod æterni conſtringuntur
Carceris anguſtiâ.
Nunc ô cœca non expendis,
Quònam viâ latâ tendis,
Quò tu te præcipitas?
Quotquot illud iter legunt,
Licèt læti dies degunt,
Mortis tenent ſemitas.
Ipſa tibi fors blandiris,
Neque, credo, tu mentiris
Dicens, ſequor divites.
Sequor magnos & potentes,
Honoratos, & prudentes,
Sequor fortes milites.
Sequor mores uſitatos.
Nec in aulis reprobatos,
Ubi lautè vivitur.
Ubi dulce fit amare,
Et viciſſim honeſtare,
Ubi ſemper luditur.
Sequor, quò ducunt amores,
Quò ſpes opum vel honores,
Atque mundi gloria.
Quis non amat voluptates,
Quis recuſat dignitates,
Aut quis fugit gaudia?

§. 2.

O Infelix! an ignoras
Quod hæc poſt non longas horas
Evaneſcunt omnia?
Ecce illi periêrunt
Qui hac viâ præceſſerunt
Hæc ſequuti ſomnia.
O videres inferorum
Antra plena miſerorum
Plena cruciatibus!
Ibi mille milliones
Ibi juſtis epulones
Cruciantur mortibus.
Ibi mille delicati
Ibi mille ſunt comati
Amantûm deliciæ.
Ibi mille ſunt magnates,
Simul lugent optimates
Avidi potentiæ.
Ibi luunt ganeones
Scurræ ſimul & prædones,
Ibi Duces inclyti.
Ibi vident ſe amantes
Sed oderunt deteſtantes
Ut furore perciti.
Vide ſi ſic vis perire,
Latâ viâ potes ire:
Hâc itur ad inferos.
Non hæc ducit ad beatas
Sedes juſtis præparatas,
Non ducit ad ſuperos.

Viam

Viam fugis arctiorem,
Nescis quod feliciorem
Nulli datur pergere
Istâ pergens non offendis
Et ad veram viam tendis,
Tu noli deflectere.
En in cœlis coronati
Nónne tibi sunt beati
Veris pleni gaudiis.
Omnes Deo complacente,
Gaudent pacis opulentæ,
Æternis divitiis.
Nihil turbat exultantes,
Inde procul lamentantes,
Quicquid illætabile.
Tenent id quod amaverunt,
Die, nocte quæsiverunt,
Quicquid est amabile.
Ibi justi sunt honores,
Ibi casti sunt amores,
Puris digni mentibus.
Non est qui non honoretur,
Nec quem Deus non dignetur
Meritis honoribus.
Nullus ibi timor mali:
Vitâ vivunt immortali,
Vitâ securissimâ.
Nox non venit importuna,
Adest illis dies una,
Dies jucundissima.

§. 3.

§. 3.

SEd quod putas iter iſti
Tenuerunt, quod audiſti
Hæc habere præmia?
Nullus venit molliore
Viâ neque latiore
Ad regna cœleſtia.
Scis quod illis lex ſevera
Norma fuit, & auſtera
Vita ſemper placuit.
Mundi nos liberioris
Et in dies turpioris
Quando non diſplicuit?
Illi quibus fuit cura
Mentis puræ, ſemper dura
Prætulêre mollibus.
Ipſi cœtus delicatos
Horrebant ùt inquinatos
Vitiorum ſordibus.
Non de nummis acervandis,
Aut de gazis cumulandis
Fuerunt ſolliciti.
Námque regna beatorum
Sedes illas Angelorum
Quis promiſit diviti?
Mundi luxus inſolentis
Et faſtus ſuperbientis
Conculcarunt pedibus.
Quàm fuerunt opulenti,
Quàm vixerunt hîc contenti
Pauperrimis veſtibus!

Nil tractarunt temporale,
Nil inane, nil carnale,
Sed cœli commercia.
Ecce votis perfruuntur
Et æternùm potiuntur
Plena Dei gaudia.
En diverſos cernis fines
Vide tandem quò declines
Quorum ſortem cupias.
Vita tranſit hæc mortalis,
Cuique dies ſtat fatalis:
Oportet ut finias.
Scis quod debes hìnc migrare,
Vide quid poſſis ſperare,
In quem locum tranſeas.
Quum terrenas linques ædes,
In cœleſtes ibis ſedes
Vel inferni caveas.
Antra ſunt hîc ululantûm
Pœnas ſuas lamentantûm
Sortémque miſerrimam.
Ibi bonis abundantes
Agunt, feſta celebrantes,
Vitam beatiſſimam.

Canticum IV.

Quis ſenſus mundani morientis, cum expiraturo crucifixus offeretur?

§. 1.

Homo quisquis Deo natum,
Tui cauſa morti datum
Credis, neque diligis.

Poſt

Poſt accepta vitæ bona,
Et promiſſa cœli dona,
Duro corde negligis.
Vide ſis quod non amanti,
JESUS dicit: expiranti
Vide quid objiciet.
Si non amas diligentem
Pro te dira patientem
Vide quid te faciet.
Voles illum miſereri
Pio vultu te tueri
Quem ſanus deſpexeris?
Nunquid non oblivifcetur?
Imò magìs iraſcetur
Quem nunquam dilexeris?
Putas erit tunc ſolamen
Et doloris medicamen
Sacri cruor lateris?
Te languentem recreabit
Et paventem confirmabit
Sanguis hujus vulneris?
Manus JESU perforatas
Pro te clavis terebratas
Qua fronte reſpicies?
O ingrate! Salvatori
Quid huic dices amatori
Nonne ſpe deficies?
An tu pedes ampleĉtêris
Fixos cruci? non mereris
Tam dulce ſolatium.

An patebit contemtori
Et amoris deſertori,
Hoc tutum perfugium?
Caput ſpinis coronatum,
Tuî causâ cruentatum
Vivo manans ſanguine.
Non dignatus adorare
Si tu voles ſalutare
Quo vocabis nomine?
Vultus Jesu reverendos
Tibi verè tunc tremendos
Quo ſpectabis oculo?
An os fontem veritatis
Et veræ ſuavitatis
Salutabis oſculo?
Hoc à ſacro credis ore
(Hoc indignus es favore)
Vox ſonabit gratiæ?
Poſt rejectas invitantis
Dulces voces & amantis
Quæ ſpes erit veniæ?
An tu ſperas quod cruenta
Quæ tu vides ſic extenta
Jesus dabit brachia?
An hoc unquam tu ſperabis?
Et in illa te jactabis
Quànam confidentiâ?
Jesu forſan inclamabis
Sed tu vide quam ſperabis
Opem ſpreti nominis?

Com-

Compellabis Redemptorem?
Sed te dicet contemptorem
Pretiosi sanguinis.
Nullo licèt accusante
Nullo scelus exprobrante
Fortè dices, perii!
Fors jacebis obduratus
Et abibis obstinatus
Dicens: ecce perii!
Ecce vitæ fontes patent
Atque rivis plenis scatent
Sacra JESU vulnera.
Inde tamen te divertant
Ad se mentem totam vertant
Perpetrara scelera.
Qui spe multâ te lactabat
Ut peccares concitabat
Tua velans lumina.
Hostis acer objectabit
Ipse coràm numerabit
Cuncta vitæ crimina.
Quæque mortis horâ viget
Hæc sagittis te configet
Rea conscientia.
Utì vindex persequetur
Et immittis ulciscetur
Urgente justitiâ.

---

§. 2.

QUid si JESUS cruce pendens
Atque fixas manus tendens
Indignans improperet?

Quid ſi jamjam moriturum
Ad tribunal migraturum
Verbis iſtis verberet?
Ecce Regem me cœlorum
Pro ſalute perditorum
Affixum patibulo.
Aſpexiſti te amantem
Et hæc dira tolerantem
Pro te vili famulo.
Blandis verbis te vocavi
Et promiſſis invitavi
Monens amantiſſimè.
Egi dein ut terrerem
Et timorem continerem
Minans ſeveriſſimè,
Sed tu corde pertinaci
Sicut ore contumaci
Dixiſti: non ſerviam.
Meus eſſe noluiſti
Tuus eſſe maluiſti
Nunc quid tibi faciam?
Et ſi tibi te permitto
Opem meam nec promitto,
Tuis vinces viribus?
Hoſtes adſunt, inſtant, fremunt,
Urgent, furunt, fauces premunt,
Et jam terunt dentibus.
Modò jaces moribundus:
Altus patet & profundus
Tetris orcus faucibus.

Jam peccatis te conſtrictum
Illi tenent derelictum,
His te ſolve funibus.
Quando mei vox doloris
Non te movit, nec amoris
Dulcis invitatio.
Non me tenet morientis
Metu mortis horreſcentis
Ulla miſeratio.
Exi miſer ad lamenta
Ubi manent te tormenta
Et triſtis æternitas.
Ibi pœna non ceſſabit
Atque tecum perdurabit
Infelix æternitas.
Ecquis erit cordis languor
Pavefactæ mentis angor
Si has voces audies?
Nec tu juſtè conquerêris
Cùm à Jesu deſerêris
Quem ſpreviſti millies.
Hæc ſi non vis experiri
Et ſi mavis exaudiri
Mortis in anguſtiis.
Jesum cœlis ad nos miſſum
Ama cruci pro te fixum
Intimis præcordiis.
An non potes hunc amare
Qui nil amat quàm ſervare
Et ut vivas moritur?

Ut tu vivas æternorum
Inter choros Angelorum,
Spinis, clavis figitur.
Ipſum cordi totum conde,
Vel te ſi mavis abſconde
Sacris in vulneribus.
Ibi mundo moriêris
Deo vivens oriêris
Regnis in cœleſtibus.

CANTICUM V.

Religioſi piè & cum fiducia morientis.

§. UNICUS.

JESU bone mi creator,
Ecce jacet quem creaſti:
O tu Pater ô ſalvator,
Ecce languet quem ſervaſti
Emptum magno pretio.
Quem nunc vides morientem,
Ad te cupit hinc tranſire,
Quem tu dies finientem
Cernis, ardet ut exire
Poſſit hoc exilio.
Ecquid illum hîc moretur?
Aut à via quid reflectat?
Ipſe ſcis quod aſpernetur
Quicquid in terris oblectat,
Ubi fluunt omnia.

Ah!

Ah! quis amat hîc tardare,
Ubi nulla requies;
Si te novit præparare
Sedes, ubi certa quies,
        Ubi vera gaudia.
JESU tu ſcis quid amavi
Prima fervens in juventa:
Illud unum affectavi
Spernens mundi blandimenta,
        Ut te ſolum ſequerer.
Ut audivi quód vocares,
Sum ſecutus invitantem:
Ubi ſcivi quod amares,
Quæſivi te amantem,
        Ut amante fruerer.
Hoc amore inflammatus
Sprevi quicquid hîc nitebat:
Sum conſtanter aſpernatus
Quicquid in mundo placebat:
        Unum JESUM volui.
Quicquid mundus habet grande,
Quo beatum ſe jactabat,
Nunquam pluris feci glande:
Mihi quicquid oſtentabat
        Illud omne reſpui.
Quamvis anni defluxiſſent
Inter molles voluptates,
Et me mei ſuſpexiſſent
Inter primos & magnates;
        Jam hæc eſſent ſomnia.

Licèt omnes collegiſſem
Gazas auri vel argenti:
Quamvis arcas impleviſſem,
Quid afferrent morienti
        Præter mentis tædia?
Annis ter quater millenis
Si vixiſſem fortunatus,
Nónne velut actis ſcenis
Miſer eſſem jam nudatus
        Mundi cunctis opibus!
Non ſic tecto ſub auguſto
Jacens gaudet opulentus:
Sicut ego ſub anguſto
Modò mori ſum contentus
        Propinquans cœleſtibus.
Multi rerum dominantes,
Quum inſtaret meta vitæ,
Optaverunt ſuſpirantes
Pii ſortem Calibitæ,
        Vel mortem Alexii.
Ecquis jam jam tranſiturus
Alto gaudet dominatu;
Quis non mallet moriturus
Commutato magiſtratu
        Tranſitum Xaverii?
O mors quàm es illi dura,
Qui terrenis abundavit!
Semper venis immatura
Illi qui nil comparavit
        Quod migranti maneat.

Quàm

Quàm eſt dulce morituro
Nil terrenum amaviſſe!
Quàm ſuave tranſituro
Illud unum quæſiviſſe
        Quod ſemper poſſideat.
Cui crux JESU fuit cara
Putat ille dulce mori:
Non eſt illi mors amara
Qui conceſſit ſe amori,
        Quo ſe vidit redimi.
Amat mortem imminentem
JESU gaudens propinquante:
Ubi ſentit venientem
Illo lætus maturante
        Scit ſe malis eximi.
Cura vitæ caſtioris
Menti comes innocenti,
Legis amor arctioris
Præbent omni morienti
        Secura ſolatia.
Levat omnes nunc mœrores
Dura pro te pertuliſſe,
Crucem tuam & dolores,
O mi JESU, coluiſſe
        Fideli memoriâ.
Quàm delectat latuiſſe
Mundi turbas ignorantem?
Et in cella quieviſſe
Vias cœli meditantem
        Quanta nunc ſecuritas!

Colla

Colla jugo ſubjeciſſe
Duræ legis & auſteræ,
Neque metu receſſiſſe
Vitæ triſtis & ſeveræ,
O quanta tranquillitas!
Non me potes ignorare
Quem hac veſte decoraſti:
Neque potes non amare
Quem tu tibi conſecraſti
Iſto donans habitu:
Ergo manum da victricem
Ad te mihi properanti:
Et cum hoſte decertanti
Dextram tende ſervatricem
In extremo ſpiritu.
Tuam crucem circumplector
Mi ſervator te adorans
Supplicantis more plorans:
Hoc amplexu quàm delector;
In hoc lubens morior.
O doloris lenimentum
Dulce pignus charitatis,
Felix ſpes æternitatis,
Bonæ mentis firmanentum,
Tibi fixus morior.
Semper mihi cordi fuit
Plagas tuas contemplari,
Et amanter oſculari
Fontes unde vita fluit
Rivis ſaluberrimis.

Sæpè

Sæpè mecum decantabam,
O quàm mihi ſalutare
His in plagis habitare!
Hìc morabor, exclamabam,
In locis tutiſſimis.
Pedes tuos Jesu Chriſte
Ore lambens verecundo,
Mentis omnes labes mundo,
Ut me purum manus iſtæ
Migrantem ſuſcipiant.
Et hæ dulces cicatrices
Tuæ teſtes pietatis
Et æternæ veritatis,
Spei meæ ſint altrices,
Sperantem reficiant.
Da te mihi ſuſceptorem
Sicut verbo promiſiſti,
Atque tuis præbuiſti;
Te fidelem defenſorem
Hoc agonis tempore.
Nè confundas diligentem:
Vivit ipſe ſi exaudis:
Tuæ vivit memor laudis
Si tu ſervas confidentem
Iſto crucis pignore.
Vota mea nè fruſtrêris,
Nè rubore ſim ſuffuſus
Quaſi meâ ſpe deluſus;
Iter meum nè morêris,
Amans ad te venio.

Scis quò meus amor tendat,
Cujus vultus admirari
Petat, atque contemplari:
Mihi Deus ſe oſtendat
Habebo quod cupio

FINIS.

ERRATA

Pag. 9. lineâ 3. ſecarat *lege:* cœcarat
P. 15. l. 11. Nitus *lege:* Intùs
P. 19. l. 19. feſtidire *lege:* faſtidire
P. 27. l. 14. ſalvatoris *lege:* ſalutaris
P. 43. l. 13. regis *lege:* tegis
P. 47. l. 19. voluplate *lege:* voluptate.